

122

Pri. 43. Num. 14.

13

24
DISSE^TAT^O JURIDICA
INAUGURALIS
DE
RECUSIONE LIBRORUM
FURTIVA

1728

1738

Zu Deutsch

Dem unerlaubten

Bücher-Sachdruck/

P. 262
QVAM
DEO FAVENTE
AUCTORITATE ET DECRETO
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI JURISCONSUL-
TORUM ORDINIS

PRO CAPESSENDIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
AD DIEM BRIS MDCC XXXVIII.

L. H. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

JOH. RODOLFUS THURNISIUS,
BASILEENSIS.

B A S I L E A E.

Typis E. & J. R. THURNISIORUM, Fratrum.



VIRO
AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
CELEBERRIMO,
FRANCISCO CHRIST,
J. U. D.

REIP. PATRIÆ ARCHIGRAMMATEO ET
SYNDICO MERITISSIMO,
SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO, AVUNCULO
PARENTIS LOCO VENERANDO,
Eidemque Studiorum suorum Fautori summo,

Hasce qualescunque Studiorum suorum juridicorum
primitias in publicum grati atque unice devoti
ipsi animi *remunq;is*, d. d.

JOH. RODOLFUS THURNISIUS,
Auctor.



Cum duplex ad rerum cognitionem pervenendi via sit, altera,
 quum nosmetipsi meditatione sola, & contemplatione mentis,
 in rerum naturam & causas inquirimus, altera extrinsecus ascita,
 quum duetu ac disciplina aliorum, literarum maxime beneficio,
 quasi manu ducimur ad rerum iam pridem a multis perceptarum
 cognitionem; Altera quidem primitiva est, & in promptu posita, sed praeter
 etatis maturitatem, cum ingenii singularem præstantiam, tum otium ab omni
 cura vacuum postulat, quorum utrumque paucis contingit, quin & propter
 vitæ mortalium brevitatem necesse est scienciam, quæ sola hac via acquiritur,
 admodum angustis terminis circumscribi; Altera eo commodior, quod &
 teneret atati paulatim pro captu ingenii insufflat ea, quæ cognoscenda sunt,
 nec negotiorum strepitu, modo otii intervalla recipiat, omnino excludit,
 & quod caput est, quicquid difficultatis & molestiae inesse possit, ubertate
 & copia rerum abunde compensat; quippe sic omnium seculorum inventa
 complectimur, multaque cognoscimus, quæ nulla meditatione attingere
 licet, cujusmodi sunt, quæ in factis consistunt, quæ secu nihilominus his, quæ
 meditatio suggerit, necessaria sunt, uti res gestæ, dicta, inventa variorum
 utilia & jucunda, ad perpetuam rei memoriam scriptis comprehensa &c.
 Merito itaque asserimus, nihil æque ad eruditionem sibi comparandam con-
 ferre, ac lectionem librorum; Verisime Thomas Bartholinus (*a*) sine libris,
 inquit, Deus jam sicut, *Justitia quietescit, torpe Medicina, literæ mutæ, omnia*
tenebris involuta Cimmerius; Quamvis lubens agnoso, exsistisse homines,
 qui absque lectione librorum egregie docti fuerint, uti testatur Cicero (*b*)
Ego multos, inquit, homines excellenti animo ac virtute suisse, ac sine doctrina,
*natura ipsius habitu prope divino, per se ipsos & moderatores & graves exstis-
 se faveant; etiam illud adjungo, sapient ad laudem atque virtutem naturam sine*
doctrina quam sine natura valuisse doctrinam. Tales tamen qui fuerunt, sine
 controversia maiores progressus fecissent, si lectionem librorum cum medita-
 tione mentis conjunxisserent; Adjuvat enim mirifice meditationem lectio, &
 quasi vestigia quædam, ad veri cognitionem ducentia subiecit, multaque accu-
 ratis disquirenti suggerit, de quibus aliqui nunquam cogitasset; Ea vero,
 quæ in primitiva illa ratione, per solam contemplationem res cognoscendi,
 desiderari diximus, ab antiquissimis temporibus, cordatis viris causam præ-
 bue-

A 2

bue-

(*a*) In Dissert. sua de libr. legend. (*b*) In Orat. pro Archia,

buerant, ut oinnes ingenii vires eo intenderent, ut, quibus possent inventis, difficultatibus in tradenda rerum cognitione obviam irent; Hinc primum literæ inventæ, inde ad librorum conseruationem animum applicerunt, quoniam memoræ & intellectui nondum exercitato atque instructo aliorum succurrerent; Verum quam laudabilis hic virorum literatorum scopus erat, tam difficilis videbatur usus hujus ad doctrinam pervenienti perquam apti medii; impossibile quippe erat, ut unicum scriptum sufficeret, omnibus illud legere cupientibus, ita multis exclusis pauci admodum fructum ilium percipere poterant; Ut itaque hæc difficultas e medio tolleretur, extitere tandem qui in id innixi sunt, ut multis simul, describendis naviter libris, satisfacere possent; hi vero pro navata sua opera mercedem aut pretium petiere, indeque orti Bibliopolæ seu Librarii.

Quenquam sunt, qui Librarios a Bibliopolis distinguant, illosque vocent, qui libris describendis operam suam impendebant, hos vero, qui, (sic ut ipsum nomen fert) libros aliis vendebant, certum tamen est, antiquos plerumque latinum nomen græco illi substituisse, & utrumque nullo discrimine usurpare, & causa in promptu est, cum iidem essent, qui describendis libris & vendendis operam darent; Frequentius tamen Librarum τὸν Εἰλιογράφον, i.e. librorum descriptorem, appellarunt. Quibus vero temporibus primum exsisterint seu Bibliopolæ seu Librarii, parum constat; usitata tamen nomina penes scriptores græcos antiquiores, Εἰλιοπόλης, Εἰλιοκαππαλος καὶ πόλης τῶν Εἰλιων (a) occurunt.

Librarii vero Romanorum vel erant privati vel publici; Illi plerumque erant servi, qui dominis suis epistolas & quasvis res describabant, de quibus Cicero filius loquitur (b) sed puto, inquit, a te, ut quam celerrime mihi Librarius mittatur, maxime quidem Gracus, multum enim mihi eripitur opera in excubendis Hypomnematis. (c)

Cum autem sepius Librarios haberent, qui de literis nil nisi eas scribere norant, hinc natæ querelæ illa eruditorum, antiquos codices evolventium atque insipientium, de festinatione, ruditate atque imperitia Librariorum, de quibus Martialis (d) jam conquetus est, dicens.

*Si qua videbuntur chartis tibi Lector in istis,
Sive obscura nimis, sive latina parum,
Non meus est error, nocuit Librarius illis,
Dum properat versus adnumerare tibi.*

Librarii

(a) Vid. Christ. Schöttgen de Librariis Antiquorum. (b) Ad Tironem famili lib. 16. ep. 21. (c) Vid quoque L. 92. de R. J. ut & Laur. Pignorius de Servis, & eorum apud veteres ministeris pag. 113, 114. (d) Epigr. 8. lib. 2.

Librarii vero publici vocabantur illi, qui magistratibus in urbe & provinciis adfuerunt, ut describerent leges, (a) acta publica, (b) &c. Haec tenus de Librariis, qui iidem & Bibliopolæ &c. (c) Hi autem vi vocis proprie sunt, qui libros describendos curabant, eosque deinde in tabernis suis expositos vendebant; hique scribes Librarios semper habebant paratos, qui libros recte & accurate describerent: Cujus rei causa & Tryphonem Bibliopolam Quintilianus monet. (d) Multum, inquit, autem in tua quoque fide & diligentia possum est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant. Quo autem errores calami lectorem non offendenter, liberque emendatus ederetur, necesse erat ut liber vel ab authore vel alio relegeretur, & cum priori scripto conferretur, de quo Martialis (e)

Septem quos tibi misimus libellos:

Auctoris calamo sui notatos:

Hac illis pretium facit litura.

Probabile autem, si minus certum est, plerosque librorum compositores atque auctores labore suum Bibliopolis pretio vendidisse, qui deinde mercaturam cum scriptis aliorum exercuere, uti hoc Martialis indigitat (f) dicens.

*Exigis ut donem, nostros tibi Quinte libellos,
Non habeo, sed habet Bibliopola Tryphon.*

Item (g)

*Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello,
Constatibit nummis quatuor empta tibi.
Quatuor est nimum: poterit constare duobus,
Et faciet lucrum Bibliopola Tryphon.*

Fuisse autem non Romæ duntaxat, sed & in Provinciis jam Trajanî temporibus Bibliopolas, constat ex Pliniî Jun. Epist. XI. libri 9. Hi itaque Bibliopolæ eorum desiderio, qui virorum eruditorum scripta sibi acquirere vel legere cupiebant, aliquomodo satisfacere poterant; Sed nec hoc sufficiebat, ut frequenti numero studiosorum subveniretur; Requirebatur eniâ multum temporis & operæ ad describendum librum aliquem magni voluminis, ideo quoque numerus librorum rarissimus, pretiumque evorme sapientis erat. (h) Atque ea conditio librariæ rei usque ad medium circiter Sæc. XV. fuit.

A 3

Quo

- (a) Vid. Cic. contra Rullum 2. c. 13. (b) Id. Orat. pro P. Sylla. c. 15. (c) Vid. Wower. de Polymath. cap. 6. § 15. (d) In epist. ad eum, Inst. Orat. prefiga. (e) Epigr. 16. lib. 10. (f) Lib. 4 epigr. 72. (g) Lib. 13 epigr. 3. (h) Diog. Laert. lib. 3. scribit, Platonem 100. Minis, i. e. circa 2250. florensis, tres libros Pythagoræ sibi acquisivisse.

Quo magis admirandum est veterum studium in excolendo omni genere disciplinarum, quam tantis difficultatibus premerentur; Eaque causa potissimum videtur, cur accedente ex bellorum calamitatibus continuis, rerum necessariarum penuria, totum fare terrarum orbem, barbaræ similes infitia cepit. Ut igitur impedimenta hæc tandem e medio tollerentur, cordati viri solliciti fuerunt, ut nova excogitarent media, quibus scripta virorum doctorum, minori opera, breviori tempore, majori numero, moderationique pretio haberi possent, eaque res opportune divina plane inventioni typographiae ansam dedit,

SECTIO PRIMA.

De Ortu & Utilitate Typographiæ, ut & necessitate illam certis Legibus circumscribendi.

Ante tria circiter secula Typographiam, (de qua tamen varie scriptores sentiunt,) inventam esse, nemo, nisi qui plane in literaria hospes sit, ignorat; Nimirum magna controversia est;

1. Quoad annum, quo primum Typographia excogitata sit,
2. Quoad urbem, in qua primum tentata, &
3. Quoad Inventoris nomen.

Quod primum attinet; difficillimum est Typographicæ epocham certo calculo figere; Cavendum tamen, ne artis primum excogitata tempus, cum ejusdem postea productæ & foras enīssæ tempore confundatur; Non enim tota simul nata est; sed paulatim per partes succrevit, diuque dum formabatur, quasi in utero delitum, donec tanti momenti fatus, cui pariendo nonnisi plures anni sufficiebant, in lucem maturus tandem ederetur. Tantæ erat molis rem fundare literariam; uti pulchre afferit Maittaire. (a)

Illorum autem accedimus sententiæ, qui statuunt anno circiter 1440. artem typographicam mente solam conceptam pensitatemque (b) anno vero 1457. ematuruisse quasi, (c) & in lucem prodūsse; Quiquid enim ante hunc annum impressorum librorum a quibusdam venditatur, non temere admittendum est ad artem typographicam, referenda enim hæc sunt ad aliam plane artem, sculpturam nim. jam diu cognitam, & cereberrimo usa frequentatam; Hujusmodi enim opera tabulis imprimebantur, non typis mobilibus excudebantur; Et ars illa non vere typographica, sed sigillaria potius vocanda

(a) In Annal. suis Typographic. ab init. (b) Id. d. tract. p. i. Mallinkrot in Tract. de Ort. & progr. Att. Typogr. p. 8. 10. 13. 71. &c. (c) d. Maittaire. d. l. ibique citati,

Vocanda est, quæ diu ante typos inventos innovuit, quaque Sinenses usos memorat Bernh. a Malinkrot. (a) Tantum vero absit, ut quis jure suscipitur Typographie inventæ annum 1440 ab anno 1457. quo prima ejus opera vulgari ceperunt, longius removeri, ut potius mirandum sit tantilla intervallo ad eam perfectionem fuisse perductam, utique si confiteretur quantum laboris, tædii & difficultatis fuerit, in variis hanc artem spectantibus instrumentis sibi comparandis, ita ut, afferente ita Besoldo, (b) facile dijudicari non posse, utrum in tanta celeritate ac facilitate pulchritudo, an vero in tanta pulchritudine celeritas & facilitas admirabilior sit?

Ab origine inventionis transimus ad ejus locum & inventores; Artis inventæ gloriam suo Harleum *Cofferio*, Argentina *Mentelio*, Guttembergio Moguntia afferuit, suos urbs quæque scriptores nocta, quorum authoritate & argumentis suam causam tueretur; Illorum autem in hac re controversa accedo sententiae, qui urbi Moguntiae, illiusque artificibus, *Johanni Guttemberg*, *Johanni Fust* & *Petro Scheffer*, laudem inventionis adjudicant. (c)

Quantum vero ex hac inventione commodum rei literariae accesserit, quotidiana testatur experientia; *Quamobrem mibi sape videri solet inter omnia, quæ in usum vitæ mortalium industria reperit, nihil esse utilius, quam usum literarum, neque ullam artem præstantiorem opificio Typographorum;* Quid enim felicius, quam cum eloquentissimi simul & sanctissimis viris, quoties libutum est, confabularis, neque minus habere perspectum illorum, quæ ante tot annos vixerunt, ingenium, mores, cogitationes, studia, facta, quam si multis annis eissemus cum illis consuetudinem. (b)

Paucis vero hæc comprehenduntur vulgato disticho.

Imprimi una dies, quantum non scribitur anno.

Et parvo doctus qualibet esse potest.

Verum uti nulla datur ars, nulla scientia, etiam utilissima, quæ non abusu corrumpi, aut in hominum noxiam converti possit, ita utilissima ars quoque typographica comparata est, de qua jam Liphis (e) ait: *Typographia bona sane studiorum matris, sed audax sape lucri cupida, & qua non minus vere corruptrix librorum audiet, quam propagatrix.*

Ut itaque utilitas maxima hujus artis typographice conservetur, in id præcipue innitendum est; Ut omnia ea, quæ ad ejus propagationem & exornationem pertinent, promoveantur atque conquirantur, ea vero quæ ad ejus corruptionem aut destructionem spectant, emedio tollantur; ideoque

Iucu-

(a) d. tract. p. 2. c. I. (b) Ab init. lib. sing. de Typograph. ex Bodin. Method. Histor.

(c) Vid. d. a. Mallinkrot. c. 8. & 9. in fine coiisque horum cap. (d) Erasmus in Praefat. Tusculan. (e) Praef. ad Lector. in Critica.

luculenter appetet necessitas, artem hanc certis legibus circumscribendi, quibus justis Typographiae cultoribus faveatur, injustis vero frenum aliquod quasi injiciatur, quominus fraudes exercere possint.

Variae vero sunt causæ, quæ labem Typographiæ inferunt, inter quæ haud minima sane est repetita editio librorum, quam Recusione vocant, ab his facta, qui id jus non habent; quod argumentum pro ingenii mei modiolo excutere conabor; Totam tractationem autem ita dispescam, ut primum de licita, deinde de illicita recusione & de his, quæ in utramque partem proponi solent, disquiram, novissime media, quibus occurri possit huic injuria, subjiciam.

SECTIO SECUNDA.

De Licta Librorum Recusione, (Germanice vom erlaubten Bücher-Nachdruck.)

Recusores librorum (Germanico Bücher-Nachdrucker) nobis sunt ii, qui librum jam impressum sive suo sive alterius nomine & impensis recudunt atque iterum edunt; Quatenus igitur recusio hæc licita vel prohibita legibus sit, ex eo intelligitur, an nim, siat cum læsione aliorum, nec ne, priori casu illicitam illam generaliter asserimus, posteriori licitam.

Libros vendere, & hoc modo commodum aliquod sibi acquirere velle, negotium per se licitum scopusque honestus est; Et æquitas naturalis, & commodum societatis, & indoles mercaturæ hoc permittit; verum ejusmodi mediis uti velle, quæ proximum lædunt, res plane indecora simul ac illicita est; Si vero exemplia a nobis petantur illorum librorum, qui legitime recudi possunt, varia dare possumus, præcipue vero &

1. Illos recudere licet, qui in longe remotis regionibus, quibuscum commercium Bibliopolæ nostri non habent, sunt impressi, v.g. in Hispania, Russia, Suecia, Anglia &c. tali enim recusione nemo seditur;

2. Licet recudere eos libros, qui quondam ab aliquo impressi fuere, verum ubi exemplaria venalia amplius non existant, nec is qui primus librum impressit, illum recudere cogitat, vel forsitan non potest; hocque modo prestat librum ab alio recudi, quam vero, ut societas literaria tali libro, qui in primis utilis habetur, egeat, præcipue, cum primus libri impressor de damno sibi recusione illato queri non possit.

3. Recuduntur inerito jure talionis libri illorum, qui commercium aut potius conventiones & pacta communia, quæ jus concordatus vocare solent, inter

inter se invicem non habent; Sic e. g. sciendum est, consuetudinem interatam vel potius conventionem tacitam subsistere inter S. R. I. subjectos & Helvetios, vi cuius, nec his illorum, nec illis horum libros recudere licetum est; Hollandi autem & Galli, qui conventionem hanc cum Germanis & Helvetiis non obseruant, minime dubitant & horum & illorum quosvis libros recudere; Talionis itaque jure & Germani & Helvetii horum vicissim libros recudunt; nihil quippe tam æquum est, quam ut quis id, quod sibi fieri velit, & aliis faciat, & vice versa.

4. Jure recudatur & illi libri, qui usit & diuturnitate temporis ita communes facti sunt, ut illorum verus dominus quasi ignoretur; uti auctores classici, biblia &c. verum notandum, textum solum seu tenorem horum librorum legitime recudi, non vero observationes aut exornationes, quas quis forsitan suo sumptu textui addidit, hinc quoque injuste quis titulo talis libri, quem recuderet, imprimerebat nomen viri docti, quem forsitan alius remuneravit ideo, quoniam operam suam impedit, ad librum quem impressit a meritis purgandum, quique ideo nomen ejus docti libri titulo seu inscriptioni inferi curavit, ut liber studiosis atque eruditis eo magis placeret. Si quoque

Editor aliquis enorme pretium libri sui utilis aut necessarii statueret, hancque ob causam a summo Imperante, postulantibus id subditis, admittitus esset, ut librum viliore & justo pretio venderet, nec veller, existimo, summum Imperantem, vel ob implorationem ideo a subditis factam, vel ex officio quoque, posse alteri jus concedere librum illum recudeandi & æquo pretio venum exponendi, absque ut primus editor de injuria sibi illata legitime queri possit; (a) Hoc enim nisi fieret aut permisum esset, metus foret, ne divina quasi ars typographica in abusum plane converteretur atque sic magis dampnum quam comodium proferret; quippe cura nullum hac ratione emolummentum bono publico arte hac accederet, si pretium librorum impressorum excederet pretium descriptorum librorum;

Verum hac occasione non immrito queritur, quodnam igitur vacetur justum lucrum, quoad librorum impressorum venditionem? Omnes enim quam optime volunt vendere; Hic vero tota res pendet a regulis prudentia in omni commercio præscriptis, & ab æquitate vendoris, a sumptibus nimis, quos in libri editionem fecit, a spe plus vel minus certa promptæ distinctionis; secundum hæc vendor pretium libri statuit, uti e contrario emptor pecuniariam aut merces suas erga librum emendum considerat atque perpendit, an utilitas vel jucunditas ex lectiōne ejus haurienda, pretium, quod pro libro solvit.

B exæquet;

(a) Vid. Berger. Elec. Discept. Forenl. p. 1099.

exsequet; Ex quo apparet, pretium libri statui non posse ex numero paginārum atque chartæ. An autem expedit certum atque justum a summo Imperante cuique libro adjudicari pretium, quod venditori transgredi non liceat, hic porro queritur? & respondetur affirmative; Quin & afferimus, hoc propemodum necessarium esse, certe perquam utile fore, quoniam hoc modo coēcentur Bibliopolæ illi, qui enorme librorum suorum pretium statuere conarentur.

SECTIO TERTIA. De Illicita Librorum Recusione.

EX propositis sectione præcedenti casibus, in quibus libros aliorum recudere licet, facilime patet, quisnam injusti librorum recusoris nomine veniat, is sc. qui ejusmodi libros recudit, quos recudendi jus non habet, quique ideo alios recusione sua lædit.

Libri a viris doctis ea mente componuntur, ut exinde commodum & ad se & ad alios redundet; admodum enim rarus hodie est illorum numerus, qui libros gloriae sue tantum causa scribunt, edique curant.

Quod autem id, quod docti viri vel meditatione sua excogitarunt, vel lucubratione industriaque sua excerptum in ordinem digesserunt, illorum proprium sit, seu ad eos solos jure pertineat, nemo dubitabit; ideoque de illo libere disponere possunt; Optime vero attingunt tales scopum sibi propositum, si laborem suum ope impressionis edunt atque vendunt, vel edi atque vendi curant; Si ipsismet librum edunt ac vendunt, tunc nemini jus competit illos recusione in veriditione turbandi, quoniam (uti modo dicitur) hoc virorum doctorum proprium est, hocque proprietatis jus, plenam ipsis facultatem concedit, alios a parili illius usu arcendi. Cum vero ob varia impeditamenta viri eruditii scripta sua per se aut ipsismet nec imprimere nec edere nec vendere possint, hinc illorum utuntur adjumento, quorum negotium id est, ut libros vel ipsismet impriment, vel impensis suis imprimendos carent, & deinde vendant, hique Editores (Grim. Verleger) vocantur: His offerunt eruditii scripta sua certo pretio, aut si mavis, honorario, (a) qui sic illa sibi acquirunt; hocque modo non solum fit traditio proprietatis corporalis rei, verum etiam plena cessio omnis juris, quod is, qui libri auctor est, in illo habuit; haec autem cessio in rebus incorporalibus loco traditionis esse solet. (b) & hoc pacto Bibliopolæ laborem virorum doctorum legitimo titulo sibi

(a) Arg. I. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit. (b) Vid. Lenz de action. & nominibus cessis, c. 3. n. 17.

sibi acquirunt; consequuntur enim ex contractu licito atque permisso jus quæsumum irrevocabile, consequuntur, ut jus manuscripta sibi acquisita imprimendi soli obtineant, libros impressos tanquam legitima sustentationis suæ media semper omnibus exclusis, & peregrinis & civibus, immo auctori- bus, a quibus MSS. pretio suo emerunt, vendendi, &c, ut verbo dicam, suo arbitratu ac libitu disponere de iisdem possunt, modo non peccent contra societatis communis reiæ literariae commodum.

Uti autem editor damnum (si forte liber sumptibus ipsius impressus, ob culpam auctoris, vel aliam ob causam vendi nequit) solus accipit, ita vicissim æquum est, ut si liber impressus, magno favore omnium acceptus, æra domino, (uti ait Horat.) meret, vel magno pretio venditur, lucrum quoque ad eundem solum spectet, neve quis ei id præcipiat. Secundum naturam enim est, commoda cuiusque rei cum sequi, qui habet incommoda. (a) Si itaque aliis, quam is, qui librum a viro docto in MSS. emit, vel primus imprescit, librum recudat, nemo dubitat, quin rem faciat legibus prohibitam, immo ut dicam quod res est, furtum committat, (b) dum fraudulenter contrectat rem alienam lucrifaciendi gratia; Qua de re Jus divinum & humanum ut & regulæ Politices omnes convenient.

Officia quæ homini secundum legem naturalern quoad rerum proprietatem observanda incumbunt, derivantur ex fonte socialitatis, quæ nobis amorem & nostri & aliorum commendat; Respiciunt autem hæc officia & utilitatem proprietarii, & securitatem auxiliumque, quod quisque alteri respectu proprietatis præstare debet; Priora officia jus uniuersique tribuunt, vi proprietatis suæ, sustentationis suæ & necessariorum vita admiculorum curam gerendi, ideoque rebus suis bene utendi, aliasque ab usu illorum arcendi.

Inter varias species vero posteriorum officiorum illa præcipue hoc pertinent; Obligatio neminem in quieta possessione proprietatis turbandi; nihil ei nec vi nec fraude auferendi; rei domino in usu rei suæ ne quod impedimentum vel damnum afferas; &c. Neglectio horum officiorum fons est omnis mali atque perversitatis in societate civili, ac simul criterium certum injusti, iuericupidi atque insatiabilis animi; Optime hoc expressit Cicero (c) inquiens; Detrabere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commo- dum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, que possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum & societatem. Si enim sic erimus adfecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disruppi necesse est, eam, que maxime est secundum naturam humani generis societatem.

B 2

Cum

(a) l. 1. c. ff. de R.J. (b) §. 1. Inst. de Obl. quæ ex del. nasc. (c) lib. 3. c. 5. Offic.

Cum igitur iustus recusor librorum officia proximum spectantia negligat, quoniam legitimam rei proprietatum & possessorem illegitimo modo in possessione, & ei adlaerentibus iuribus turbat, sicut ei auferendo, utiturque re aliena absque domini concessione, dum libros impriimit atque vendit, quorum vendendorum ius alter solidissimi legitimo modis ac certis pactis acquisivit, quid cause est, quo minus dicamus ex hac enus dictis patere, eam de qua modo egimus librorum recusionem jure naturali illicitam atque adeo furtum esse?

Jus divinum positum seu revelatum cum iure naturae hic ut ubique pleno convenit, siquidem utrumque eundem habet auctorem, ita ut alterum alteri repugnare nequeat; hoc, quemadmodum voluntas Dei ex sola sibi relicta ratione, ex sapienti subordinatione finis & mediorum, quae conservationem & propagationem pacificae atque officiosae socialitatis spectant, conciliat; illud rationem nostram de voluntate Dei verbis expressis clarissime convincit. Exstat autem in Decalogo mandatum, numero octavum, ita tonsus: *No fureris*: convenit quoque inter omnes Theologos (a) quod tunc quoque furtum committatur, quando proximo dammum infertur, aut id agitur, ut alter dammum in re sua sentiat; aut si ab eo dammum, si possit, non avertas. At vero perspicuum est, illos quos diximus librorum recusores cum tantum scopum habere, ut danno proximi dentur, siveque proprietatum legitimam fraudent, quod genus furti est, ut nunc silentio praeteramus mandatum Decalogi decimum quod omnem alieni commodi appetentiam dampnet. Quam in sententiam facere non possum, quin adducam verba Ahazii Fritschii: (b) *Certe*, cinquit, *cum alterius jactura* *sese locupletiorem vidderez ipsi etiam genitibus iustum & intolerabile visum est*, quidni Christianis deberet effatura & ignoratio sum per secum sibi habeant ejusmodi lucis aperti librarii vel Typographi, quod ex ejusmodi re non tam lucrum & beatiuationem, quam maledictionem & daminum haurire possint.

(c) Quod vero recusio librorum, de qua hac sectione agimus, etiam de Jure Civili illicita sit, apparet primi ex eo, quod leges civiles in re qualitate naturali fundatae sunt, i. e. in concordia fundamentis legis naturae aperte habentes. Ex notissimis autem regulis seu preceptis civilibus fundamentalibus, quae ex iure naturae desumptae sunt, unicum ad confirmandam sententiam meam adducam, sc. unicuique suum tribue. (d) Quod si unicuique suum est tradendum, necesse quoque erit, ut ab alieno manus abstineamus, hoc est, res alterius non attenemus aut minuamus, ut patiamur unumquemque rebus.

(a) Inter alios Mag. Catechism. Lutheri fol. 104. a. b. 106. a. Mengering in Scrutinio Conscient. lib. I. cap. II. q. 139. (b) In tract. de Bibliop. c. 5. n. 10. anno 1523. Inst. de J. & J. ex sup. idem fol. 112 (c) L. R. 2. 21. (d)

*rebus suis uti, ut reddamus quod alienum apud nos est; uti Celeberr. Vianus
hoc praeceptum juris optime explicat.* (a)

Leges civiles itaque prohibent quemquam cum alterius damno locupletari. (b) Quod autem hic solus iniquorum recusorum scopus sit; nim, ut cum damno alterius locupletetur, superius jam dictum est, itaque hoc sufficiat ad probationem, recusationem sc. de qua hac sectione sermo est, de Jure civili esse illicitam. Quod autem de eodem jure furti nomine appellanda sit, apparet ex l. i. § ult. ff. de furt. ubi Paulus Jurisconsultus sequentem furti definitionem dat; *Furium est contrectatio rei fraudulsa, lucrificiendae gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessio nis, quod lege naturali prohibitum est admittere.*

Ex hac definitione Pauli videre est, non solum ablationem rei corporalis aut mobilis, verum etiam interversionem juris, quod alicui in re aliqua competit, furtum esse; præcipue autem mentio hic fit speciei furti, quæ furtum usus vocatur; Committitur autem furtum usus, quando quis rem forsan non auertit, verum illam in alium usum ac a domino aut proprietario concessa est, contra voluntatem proprietarii vertit, lucrificiendi gratia, & de hoc accipienda sunt verba Pauli (c) quando dicit; *Qui aliena re invito dominou s us sit, furtum facit.* Oportet porro, illegitimum libri recusorem, antequam recudat aliquem librum, exemplar illius tenuisse, & proinde justo titulo sibi a vero illius domino aquisivisse; verum, qua intentione, quæ dominus librum in talen transstulit, nisi ea, ut vel si velit lectura vel commerci distractione, aliote modo licito illum in usum suum vertat, nequam vero ea mente, ut illi simul jus concessionem velit, librum recudendi, & hoc modo injustum lacrum captandi; Cum itaque haec recusio fiat absque dominii consensu, dum in alium usum liber a tali recusore veritur, ac a proprietario ipsi concessum est, quis dubitat tali recusione furtum de Jure civili fieri?

(b) Restat ut adhuc paucis demonstremus recusationem de qua sectione hac agitur, salubri Politice atque adeo civili prudentie quoque adversari; hoc autem apparebit, quando consideramus politicam prudentiam versari circa gubernationem atque institutionem actionum suorum & alienarum, ad securitatem & utilitatem potissimum publicam. (d) Publice autem quam maxime interest cives habere doctos, rerum peritos atque sapientes viros. Cum vero (uti iam diximus) laetio bonorum librorum ad eum finem necessaria sit, librorum utilium conscriptio aut compositione aut editione hac furtiva im-

(a) In Comment. ad Institut. tit. de J. & J. § 8. (b) I. 206. de R. J. (c) In l. 40.
(d) Puffand. de Jur. Nat. & Gent. lib. i. c. 2. § 4. ab init.

pediatur, nihil obstat, quo minus ex nexus harum propositionum; quarum
 una ex altera necessario fuit, concludamus, librorum recusionem, qua illorum
 compositionem & in vulgus editionem prohibet, etiam salubri Politiae
 aduersari; utpote qua postulat, ut eam cum hominibus vita rationem in-
 situamus, quo vita communitas felicitati humanae, maxime autem societati
 civili, in qua vivimus, adjumento sit, & quod honestate praestat efficiatur. (a)
 Quod autem certum sit, recusionem (de qua hac sectione loquimur) impe-
 dire librorum meliorum iu vulgus editionem, facilissime probari poterit, dum-
 modo consideremus, libros (uti jam dictum) a viris doctis hodie non eu in
 finem tantum conscribi atque edi, ut vel gloriam suam augeant, vel commo-
 dum publicum remque literariam promoveant, verum ut etiam laboris
 fructum & utilitatem aliquam percipient. Quisquis itaque auctor est alicujus
 libri, in id innititur, ut laborem suum justo pretio Bibliopola vendat, nec
 aliter in vulgus exire patitur. Bibliopola quidem laudabit opus auctoris, si
 bene conscriptum est, verum summo suo periculo magnum pretium pro illo
 auctori expendere nequit; quippe quoniam sumpitus, quos iu acquisitionem
 libri facit, mox ipsi perituri sint, siquidem paulo post impressionem a se factam
 libri, alter forsitan furoto illum recudet, atque ob eam rem viliori pretio ven-
 det, & vendere poterit, quoniam ab impensis quas primus impressor ratione
 auctoris libri habuit, imminus est; hocque modo Bibliopola probus, qui
 modico lucro contentus, literarie rei commoda promovere vellet, deterretur,
 ne in posterum eniusquam etiam doctissimi viri opus sibi acquirat, ut edat,
 nisi hoc vilissimo forsitan fieri possit pretio; Quod si autem labor atque
 meditatio virorum doctorum tam vili pendit, nemo illorum existet, qui
 de rebus Reipubl. commodum & bonas artes spectantibus libros conscribere
 cogitet, aut si forsitan aliquis meditationes suas literis mandabit, attamen illas
 majoris astinabit, quam ut vili pretio Bibliopolæ vendat, verum potius, uti
 proh dolor! sepius factum est, & quotidie fieri solet, intra privatos parietes
 custodiet, aut solis discipulis, cognatis, aut amicis illas legendas concedet,
 ita ut major orbis litterari pars, fructu, qui ex his percipi posset, careat;
 hocque modo multæ præclaræ meditationes inventaque virorum doctorum
 intercidunt ac putrescant, quod certe haud minimana rei literaria & per
 consequens publica affert jacturam; cum e contrario facilitas libros, qui
 bene docteque ad discendas scientias artes atque disciplinas conscripti sunt,
 justo pretio sibi acquirendi, multos ad easdem artes ac disciplinas vel discen-
 das vel etiam profitendas invitaret atque alliceret, qui alias tot difficultatibus
 absterrentur; Concludimus itaque ex dictis, recusionem librorum alterius
 salubri Politiae quoque esse adversam.

SECTIO

(a) Vid. Winckler in Inst. Philos. Wolffian. Part. 4. seu de Politic. §. 2932, & sq.

15

SECTIO QVARTA.

Contra rationes bucusque tam ex jure divino quam humano prolatas, quibus probavimus recusonem librorum alterius illicitam esse, vulgo adseruntur sequentes objectiones, quas omnes & singulas pro virili refutare conabimur.

I. Primum quod adversarii sententiae nostrae in partes suas irahere conantur argumentum, est illud; quando nimis afferunt, recusonem librorum esse e re publica; quoniam libros viliori pretio vendant recusores, quam primi impressores, quodque ita libri utiles, qui difficulter ante haberi potuerint, magno numero in vulnus edantur, eoque modo pauperrimo cuique copia frat, quæ alias solis divitibus competebat; Accusant insuper primos librorum impressores summæ iniquitatis, quod libros carius vendant; e contrario operam suam summis effundunt laudibus, quod christiano more, justo contenti pretio, multo minoris eosdem libros vendant. Hæc si obiter considerentur, speciem veri habere videntur, verum si debito modo ponderantur, apparet sophisma clarissime. Illegitimi librorum recusores liberales sunt ex alieno, quam ob liberalitatem suam gloriari velle, perinde est, ac si ob largitionem ex aliorum bonis te efferas; falso enim in alienam messem inferunt; hinc minime mirandum est, illos libros suos multo minori pretio vendere posse, quam justum atque legitimum libri dominum, impensa enim, (uti jam aliquomodo dictum) sunt perquam dissimiles; Legitimi impressores summan pecunia æuctori pro labore suo solvere, sumptusque in charta & literarum acquisitionem facere coguntur, dum adhuc incerti sunt, an liber, quem edendum suscepissent orbi eruditio se probatur; Etenim *habent sua fata libelli*; Illegitimus vero libri recusor nullas impensas facit, nisi quas impressio exigit libri, & sine ullo suo periculo imprimit, dum librum non temere alium, nisi albo jam doctorum probatum recudit, contra vero, quum legitimus editor haud raro in libro minus probato dominum accipiat, æquum est, ut illud aliunde compenset, & alium a se impressum librum aliquanto carius vendere possit; Quod si itaque æstimatio periculi, quod in se suscipit Bibliopola probus, & sui & boni publici causa, cum diminutione pretii, qua injusus recusor Remp. se juvare prædicat, conferatur, certe æquus ac probus æstimator videbit, libri a recusore illegitimo veuditi pretium æquius tantum videri, non esse; quænam enim hæc est argumentatio? Fur merces furto ablatas viliori pretio vendere potest, quam probus mercator, ergo sursum est licitum; aut prædones, e.g. Tunetani, minori pretio merces vendunt quam Veneti, quibus illi merces furto abstulerunt, ergo latrocinia prædonum licita censenda sunt; certum est igitur, vilitatem pretii nihil facere ad defensionem recusoris illegitimi.

Revera

Revera autem maius damnum ex illicita recusione infertur Reipubl. literariæ, quam commodum, eo, quod (uti jam dictum est) recusor injustus in causa est, ne in posterum eruditorum opera eadem facilitate edantur, quam vero ederentur, si metuenda non esset recusio fraudulenta.

Quod porro antagonistæ dicunt, recusione libros antea vulgo incognitos raroisque inventu, in vulgi manus venire, id valde infirmum est argumentum ad defendendam ipsorum sententiam; nam si recusores pro unico scopo suo haberent bonum publicum, tunc vel alios libros utiles similiter ab ipsis anterioribus potius edendos redimerent, vel periculum facere imprimendis libris, iam quidem olim impressis, verum rarissimis, quorum proprietarius nullus jam exstat, qui eosdem recudere velit; sed malunt illi praesenti lucro suo posthabentes bonum publicum, ejusmodi libros recudere, in quibus minimum periculi facere possunt, malunt iusta fraude tales libros in damnum legitimorum dominorum recudere, ex quibus, utpote jam opinione communii probatis, lucrum certum sperant.

2. Improbi recusores ad defendendam causam suam porro assentunt; Neminem jus perfectum sibi acquirere librum quemcunque exclusis aliis edendi, quoniam libri ipsa editione in vulgo quasi juris publici sunt facti; Verum ut concedamus illos esse juris publici factos, an exinde sequitur, ergo unicuique illos imprimere licet; Unusquisque quidem jus habet libros emendi, legendi, alienandi utcunque &c. verum non item recudendi; liber quippe quem justo titulo ab auctore acquisivi, & impensis meis imprimi curavi, meus est eam omni fructu & emolumento, quod inde in rem meam vertere possim, velut si quis fundum erit, cum omni spe reddituum in omne evum; hancque proprietatem nemo jure probabili sine consensu meo mihi recusione admere aut corrumperem potest; hoc vero adversariorum sophisima, quod nim. libri sint publici juris, sedem suam habet in illa nimis generaliter accepta sententia, commercia esse libera, per consequens quoque librorum commercium; hincque inferunt, quod, uti mercator easdem, quas videt alium mercatorem lucrificandi gratia vendere merces, itidem vendat, simileque commercium exercet, ita quoque unicuique liberum esse, quoconque velit libros imprimere aut imprimi curare atque vendere; sed uti ille mercator, qui alterius mercatoris merces invito eo fraudulentio modo arriperet, & cum iis commercium exerceret lucrumque sibi acquireret, non mercatoris sed furis nomen mereretur, ita quoque ille, qui cum mercibus seu libris, quos alias Bibliopola sibi justo acquisivit titulo, invito eo seu proprietario recusione negotiaretur, furtivi editoris nomen meretur; nam unicuique quidem licet negotium librarium exercere, sed quod propterea licet, eum qui

jus

ius quæsumum atque proprium habet librum aliquem imprimendi, in jure suo turbare dañnumque ei ea ratione inferre, negamus; sequeretur enim jure commerciorum licere unicuique, mercatoris alicujus merces arripere, illasque in usum suum vertere contra voluntatem proprietarii, (quod Celeberr. Gundlingius Philosophiam bovinam (Ochsen Philosophie) vocat. (a)) Huc usque autem nemo, uti automo, commercii jus atque libertatem extendet, quod omnino fieret, si statueremus, recusationem librorum, eo modo, quo antagonistæ nostri contendunt, publici juris esse, immo si hoc concederemus, nec recusor improbus justam conquerendi causam haberet de iis, qui quoscunque velint libros ex libraria ejus taberna arriperent, verum uti hoc ipsi iniquum videretur, ita non minus iniquum est factum improborum recusorum, ambo enim casus in uno convenient, nim, in eo, quod alter alteri suum fraudulenter atque injusto modo eripit.

3. Provocant antagonistæ nostri ad consuetudinem, & in usum suum conferunt dictum celebris alioquin Jurisconsulti (b) assertentis. *Iisdem moribus uimur atque vivimus hodie, cum nemo securus sit, librum ab alio recudi, nisi privilegio principis munitus sit, consuetudinis etiam hic vis est maxima.*

Verum non satis mirari possum, cur hic celebris alioquin Jurisconsultus ejusmodi argumento utatur; Quenam enim hæc foret ratiocinatio; injuste aliquid ab Anglis, Batavis, Gallis aliisve, quibusunque vel omnibus Gentibus per diuturnum tempus committitur, ergo eo jam æquum est atque justum; An Virum Celeb. latere potuit dictum Pauli Jurisconsulti? dicentes, (c) id quod ab initio vitium est, tractut temporis convalescere haud posse. An illum latere potuit? consuetudinis ususque longævi tantam non esse auctoritatem, ut aut rationem vincat, aut legem. (d) Quot exinde sequentur absurdæ? Hodie furtæ, homicidia, mendacia, adulteria sæpiissime exercentur, maximaque harum rerum est licentia, proh dolor! ergo omnia hæc illiciti in se nihil habent.

Restant adhuc alia quadam rationes, quas antagonistæ sententie nostra professe facere credunt, verum illas sequenti sectione aptius examinabimus, ne bis idem agamus.

C

SECTIO

(a) In seinem Rechtlich- und Vernunft-mäßigen Bedenken vom schändlichen Nachdruck anderer gehöriger Bücher. §. 13. (b) Ludewig Präf. ad reliq. MSS. (c) 1. 29. ff. de R. J. (d) 1. 2. C. quæ sit longa. Conser. c. ult. X. de Consuet. c. g. X de sentent.

S E C T I O Q V I N T A .

Continens variarum quæstionum hanc tractationem
spectantium resolutionem.

Libri quibus improbi recusores insidiantur vel sunt privilegiati, quibus à principe vel superioritate territoriale habente speciale privilegium concessum est, ut sub certa pœna a nemine subditorum intra certum aliquod tempus excedantur; vel non privilegiati;

An privilegiatos intra tempus, quo privilegium viget, unicuique recudere liceat, superfluum est querere, nam si nulla negationis ratio adesset, sola hæc sufficeret, quod voluntati superioris refragari nefas sit.

An vero unicuique non privilegiatos libros recudere liceat, a variis variegatum est; alii quippe affirmativam, alii negativam amplexi sunt; postriorem nos sententiam, tanquam iustam, æquam & honestam haud absque rationibus, uti hactenus commonistratum est, ulteriusque commonistrabitur, probamus.

Antecedenti sectione diximus, restare adhuc aliquid refutandum, quod antagonista nostri proferre solent; commode autem hoc refertur ratiocinium illorum, quando ajunt;

i. Qui jus quæsitum habet, non indiget privilegio; cum igitur Bibliopolæ magnis sumptibus privilegia sibi comparent, sequi, illos antea jus quæsitum non habuisse librum cum exclusione aliorum imprimendi. (a) Verum hoc ratiocinium facillime refutatur.

Privilegia in se spectata non magis necessaria sunt, ac leges civiles contraria sunt; natura cuique innatescit officium unicuique suum tribuendi & relinquendi; cum vero malitia hominum etiam fortissima juris naturalis vincula disrumpat, & hac ratione multæ externæ turbæ in societate humana orientur, opus est, ut huic rei iussu superioris obveniat; haud alia enim causa petendi privilegii erat, quam fraudulenta insidiatio improborum recuforem; hanc quoque ob causam suo jam ævo Erasmus Roterod. Celebr. ille Vir hoc consilium dedit famosissimo civitatis hujus Bibliopolæ Frobenio (b) sequentibus verbis. Plerique, inquit, insidiantur homini propemodum conjurati, ut eum perdant, ubi quid novi operis prodit, quod putant fore vendibile, mox unius atque alter suffratus ex ipsius officina exemplar excudit ac venditat minimo; Interim Frobenius immensam pecuniam impendit in castigatores, frequenter & in

(a) Vid. Celeb. a Ludewig. Praef. ad reliq. MSS T. 1. §. 41. p. 132. (b) Apparet hoc ex literis quas dedit Erasm. ad Wilibald. Pirckheimer, qui tunc temporis A. 1522, in Aula Imp. Caroli V, degebat.

exemplaria; huic iniquitati facile succurreretur; si foret Imperatorium Edictum; ne quis librum a Frobentio excusum, aut cui sit aliquid ab auctore additum, excedat intra biennium; tempus longum non est. Officina Frobentiana vel ob hoc favore digna est, quod nihil ex ea inceptum prodit, aut seditionis.

Acquisitio itaque privilegiorum nihil novi juris confert legitimo domino, sed ad juris ipsi jam acquisiti conservationem pertinet, id quod praecipue patet ex Celeberriani Carpzovii sequentibus verbis. (a) Cum Bibliopole sumptibus non minimis libros excudere faciant, quorum satisfactio & lucrum, quod inde sperant, in multos sepe differtur annos, quandoque etiam si libri impressi raros inventant emptores, non parum inde damni marsupiis eorum accedit, invidendum certe ipsis non est, si previde agant, seque certo privilegio muniant; ne forsitan alius quis eosdem libros typis imprimere curet, neve Bibliopole exteris eis alibi impressos, venales importent.

Ex eo autem quod justus dominus libri alicujus nullum impressionis privilegium obtinuerit, ne minimum quidem jus accrescit recusori injusto; privilegia enim eum duntaxat in finem acquiruntur, ut litis decisio acceleretur; privilegiatus quippe paratam habet executionem aduersus conantem se in quieta possessione sua turbare; pena est certa & gravior; auxilium efficacius; atque instigata quoque actione non opus est, ut id quod mea interest una cum damno dato petatur & recenseatur, aut ejus estimatio arbitrio judicis relinquatur. (b) Imo breviter ita argumentor: ubi confirmatio juris adest, ibi jus jam adfuisse censetur, quod confirmatur; non entis enim nullae sunt affectiones, ergo si superior privilegio suo jus alicujus confirmat, librum exclusis aliis imprimendi sequitur necessario, illum ante concessionem privilegii jus exclusis aliis librum imprimendi jam habuisse.

2. Quæritur, an cum privilegia ad certum tempus concedantur, jus privilegiatorum finito eo tempore extinctum sit, nec ne? Ad hoc respondemus, quod finito privilegio, dominus libri nihilominus semper jus conservet, illum cum proprietatis exclusivæ jure sub prela revocandi, etiamsi enim superiori forsitan non placeat privilegium prolongare, non cessat tamen jus, quod libri domino antea competit; alias sequeretur absurdum, quod modo demonstratum est, privilegia nempe demum jus concedere domino; præterea revocatio privilegii tendit tantum ad obvenientem forsitan abusum tollendum, (c) testatur e contrario experientia, quod si nullus abusus fiat, privilegia ad tempus concessa, facta debita imploratione renovari atque in longiorem diem concedi, quod certe non fieret, nisi dominus iam ante jus in re habuisset; ex hoc quoque

(a) In Jurisprud. Confistor. lib. 2. def. 414. n. 1. sq. (b) Vid. Respons. Juris Facult. Lips. apud Berger. in Elect. Discept. forens. p. 1099. (c) Vid. Carpz. I. c. def. 415. n. 12.

libri competit alios a recusione arcendi, *Monopolii* nomen mereatur, nec ne? Negativa nobis magis arridet, sequentes ob rationes: Monopolia definiuntur, quod sint negotiaciones, quibus quis commercia alias communia soli sibi vindicat. (a) Ipsa hæc monopoliorum definitio contradicit antagonistarum nostrorum sententias; quis enim contendet, facultatem librum aliquem imprimendi, quem imprimendi jus solus quis sibi justo titulo acquisivit, posse vocari commercium aliis commune? quod alicujus proprium est, id extra omne dubium in communionis statu amplius non est; cum vero superius demonstratum sit, quod is qui justo titulo atque pacto librum aliquem sibi acquisivit, ejus dominus atque proprietarius sit, hinc sequitur nemini alii jus a liquo in eandem rem competere; Tunc demum monopolii nomen mereretur actio Bibliopolæ alicujus, si omnes libros solus in civitate, in qua degit, imprimere atque vendere conaretur, aliosque ab eodem commercio aut jure, libros imprimendi atque vendendi arcere vellet; sed hæc hic non pertinent.

Verum posito (sed non concessso) hanc actionem Bibliopolæ mereri, ut vocetur actus monopolii, an non notissimi juris est, quod etiam hæc monopolia, si utilitas publica hoc suadeat, licita sint? (b) Quod autem in casu nostro utilitas publica hoc requirat, indigitat Celebr. Carpzov, ajens: (c) *Utilitati Reipublicæ monoplia in genere prohibenti opponimus aequitatem in jure naturali fundaram, que non adiutit, ut quisquam alteri noceat malitijs, quod sane fieret, si Bibliopolia, qui imprimendo aliquod scriptum, multos erogaverit sumptus, ut aliquando lucrum & commodum laboris sui sentiret, alterius Bibliopolæ facto, spe sua frustra retur, & in paupertatem inopinatam coniceretur, ex quo demum incolis ac civibus ad inopiam redactis, ipsi civitati ac Republicæ ruina acceleraretur, quod tamen maximopere preceavendum, e contrario utilitas publica omnibus modis promovenda.*

4. Quæritur, an illis, qui privilegium a superiori de libro quem reciderunt, obtinuerunt, verum illegitimo modo, sub & obrepticie, (uti ajunt) prosit privilegium suum? Respondetur negando. Autem quidem tales se 1. iussim præ illis habere prælationem, qui de libro suo nullum plane privilegium obtinuere aut petiere. 2. Eos quoque qui antiquius privilegium super librum aliquem habent, suo privilegio sub & obrepticie impetrato excludere cupiunt; sed re penitus inspecta, utriusque iniquitas apparebit;

1. Patet ex legibus tam naturalibus quam civilibus, privilegium, quo alteri nocetur, concedi alteri non posse; (d) Nemo unquam principum alteri fecit; principes

(a) Lüder Menck. Theor. & Prax. Pandect. I. 18. tit. 1. §. 8. p. 393. (b) Vid. Brunne-mannus in Cod. ad tit. 59. lib. 4. n. 5. C. de Monopol. (c) In Jurisprud. Consist. I. II. def. 414. n. 9. 10. 11. (d) Vid. Wernher. Observat. Forens. Vol. III. P. IV. O. 117. p. 294.

principes enim sunt Patres Patriæ, amant & que omnes & singulos suos subditos, & omnimodo id curant ut communem illorum utilitatem promoveant, societatemque conservent quietam; hæc autem cura, quæ uniuscuiusque subditi bona æqualiter respicit, ipsi non permittit, ut concedant privilegia atque immunitates, quibus unius commodum alterius damno promoveatur; Imp. Theodosius atque Valens olim jam de hac re animi cogitata patefecerunt, dicentes, (a) *Rescripta contra jus elicta, ab omnibus iudicibus refutari præcipimus: nisi forte sit aliquid, quod non ledat alium. Et potenti proficit.* Ex hoc concludunt omnes & qui amantes Jurisconsulti, quævis privilegia tacite hanc clausulam continere, *salvo nim. jure tertii.* (b) Privilegia autem, (uti superius jam dictum) nil sunt nisi confirmationes jurium, quæ competunt Bibliopolis, in libris suis; recusores improbi ante impressionem jus in illis nunquam habuere, ergo privilegium id ipsi concedere nequit. (c)

Quod vero 2. attinet, ubi improbi recusores securos se credunt ab actione legitimi impressoris ob novissime impetratum privilegium summi respondentes hoc nullo modo procedere; nam de superiori tanquam eo, qui iustitiae defensor censetur, præsumi nullo modo potest, illum idem duobus concessis atque concedere voluisse & potuisse. (d) Quotidiana tamen experientia testatur, talia privilegia peti & impetrari solere. Sed quamnam habebunt viam quando in petitione illorum veræ circumstantiæ dolose celantur? In unaquaque bene constituta Republica fundamenti loco quoad leges & decreta superioris poni debet id, quod Imp. Zeno requirit, quando dicit; (e) *Universa rescripta, sive in personam precantium, sive ad quemlibet judicem manaverint, sub ea conditione proferri præcipimus: si preces veritate risuantur:* Celeberrimi itaque Jurisconsulti in eo convenient, quod ille qui sub & obreptitiæ privilegium alterius librum imprimendi obtinuerit, justo domino nihil præjudicet; (f) haud equidem ignoro, improbos recusores in commodum suum interpretabi-
turos esse sententiam quorundam Jurisconsultorum qui autem, superiori
vi summi potestatis atque Juris Majestatici competere jus, simile privilegium duobus vel pluribus concedendi, etiamsi forsitan alter grave, damnum exinde sentiat; Verum credo hos Jurisconsultos nimium tribuere superiori; illi enim atque sapientes principes aut superiores non desiderant, ut fines ræ *xvg* nimium extendantur, & quidem tam potestatem, quæ & divinas & humanas leges tollit, sibi arrogare quis sustineat? nolunt legibus suis obligationem,

(a) 1. 7. C. de Prec. Imp. offerend. (b) Vid. Trentacinquius Var. resol. c. 7. (c) per. §. 1. Sectionis hujus. (d) Vid. Leyferi meditat. ad ff. T. 1. Specim. X. thes. XI. pag. 114. (e) 1. 7. C. de divers. rescript. (f) Vid. d. Respons. Facult. Jurid. Lipc. apud Berger. c. 1.

quà quisque legibus divinis obstrictus est, tollere, probè enim sciunt, leges naturales esse normam, ad quam actiones atque leges suas accommodare & ipsi debent; Ex eo autem quod forsitan ob rationes rarissime concurrentes hoc a superiori semel aut iterum factum sit, neinō sanus certe argumentabitur, propter hanc a regula exceptionem, regulam ipsam antiquandam esse, vel domino præjudicium inde consequi.

5. Quæritur, an nim. privilegium impressorum ab Imperatore Bibliopolie concessum, a Statu quadam Imperii tolli possit? Decidimus hanc questionem verbis Celeb. Strykii, dicentis. (a) Non puto privilegium impressorum ab Imperatore concessum, a Statu quadam Imperii tolli posse, nisi sentiat inde incommodeum quod subditos sui territorii, si enim hi libro opus habeant, & ab editore pro iusto pretio exemplaria sufficientia habere nequeant, nil vetat, quo minus principis in suo territorio aliqui indulgere posse, ut typis in utilitatem provinciae idem liber subjiciatur; si enim LL. universalibus derogare valent Status, utilitate subditorum id exigentis, cur non possent juri aliorius singulare; sed intra territorium hac potestas restringenda, ut si alibi venum exponatur, penas Imperatoris privilegio insertas expectare habeat venditor.

6. Quæritur, si quis librum ab alio editum, insigniter auctum recudere velit, an hoc jus ei concedat librum vel privilegiatum vel non privilegiatum priore editore præterito, recudendi? Respondetur negando utrumque; 1. enim augmentum libri non habetur pro novo libro, sed pro accessorio, quod principale sequitur; & 2. recusores improbi, quasvis fraudes hoc prætextu regere & defendere possent.

7. Quid ergo? an propter commodum vel pertinaciam primi editoris reipublicæ literaræ eruditissimis & utilissimis alicujus observationibus & annotationibus in librum aliquem caretum erit? Respondetur minime. Nam vir doctus qui observationes atque annotationes in librum aliquem fecit, poterit illas iusto pretio legitimo editori offerre, simulque ei indicare, quod, nisi illas emere velit, alii venditurus sit. Quo facto sibi habere debet legitimus editor, si alius illas sibi acquisiverit, atque edi curet; verum hic probè notandum, auctorem observationum solum ius observationes suas, non vero etiam textum aut tenorem libri una cum observationibus suis edendi vendere posse; & hoc modo nec editor textus, nec editor observationum libri lreditur, siquidem multi emunt observationes propter textum, & itidem multi textum aut tenorem libri propter observations. Excipiuntur tantum ii libri, qui, licet multa aliqui utilia contineant, ita mendis & erroribus turpissimis nihilominus referti sunt, ut Reipublicæ literaræ omnino interset, eosdem emendatus & castigatus recudi.

8. Sed

(a) in usu mod. 3. l. 1. T. 4. §. 2. p. 25.

8. Sed quid si dicatur, incommodam fore eruditis separata^m lectionem textus & observationem, cui incommodo conjunctum facta impressione facile occurri posset, hocque simul medium esset plures emtores reperiendi? an non igitur in gratiam orbis eruditⁱ & insignis utilitatis causa, conjunctiu illud opus citra legitimū ejus editoris injuria, imprimi poterit? negatur. Commodum enim eruditorum & utilitas typographi alie^u, justæ causæ non sunt, legitimū libri editorum in jure suo turbandi, ex commido enim aliorum & emolumētis quorundam jus metiri haud solēnus; *Qui autem omnia metiuntur emolumētis & commodis, neque ea volunt præpondērari boni statu, bi solent in deliberando bonos- tum cum eo quod utile putant, comparare, boni viri non solent.* (a)

9. Haud aliena quoque hoc loco est qua^stio hæc; si quis librum aliquem præstantem jure suo recudere posset & vellet, pluri^mosque jam sumptus in eam rem fecisset, sed vel ante quam consilium suum publice declaraverit, vel post factam publicationem & cœptam forsan impressionem ab alio quodam e regione concordanti præveniretur; queritur quid licet? Respondeamus extare hoc in casu consuetudinē typographorum receptam, qua simul ac aliquis resciscit alterum eundem secum librum recudere, petit ab eo, ut sibi indicet, quoque jam in impressione operis pervenir, ipsumque vicissim certior rem facit, quoad ipse in impressione eadem progressus sit, quo utrinque comperto, ei qui longius progressus est, alter cedere tenetur; hic vero, qui impressionem continxat, alterum de sumptibus in impressionem jam factis indemnem præstat, eo quod ipsi certum numerum exemplariorum (pro ratione sumptuum quos habuit) post impressionem factam, gratis concedit; sed hic probe notandum, hoc ita tantum procedere, si sumptus utrinque bona fide facti sunt, i. e. si neuter sciverit, alterum librum jam imprimeret; quod si enim sumptus ab aliquo enim solum in fine facti esent, ut (quemadmodum multis hoc facere moris est hodie) prætextu eorum ius aliquod tanquam ex occupatione legitima prætendere possit, licet probe sciat impressionem ab altero vel declaratam vel jam cœptam fuisse; tunc typographi vi consuetudinis ejus, quam dixi, auctoritate superioris hominem eo adiungit, ut ab impressione desistat, & in pœnam delicti sui, sumptus quos fecit sibi habeat; alioquin enim, nisi hoc fieret, fraudi ac malitia fenestra patesceret, & concederetur, in dolo suo quis conditionem suam reddat meijorem, aut dolosa hac occupatione, alterius qui bona fide sumptus suos & industrias in rem contulit, intervertat justam occupationem; Ejusmodi enim ingenio qui sunt, ut Ciceronis utar verbis, (b) *a Diis constitutam inter homi-*

(a) Vid. Cic. Offic. lib. 3.

(b) Lib. 3. Offic. c. 6.

homines societatem evertunt, cuius societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrabere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire &c.

Si vero neuter ex illis, qui librum aliquem recuderunt, rescivit alterum jam recendere librum, sique bona fide impressionem uterque ad finem perduxit, ut alia infortunia hoc quisque a quo animo pati debet typographus.

10. Denique cum nostro demum seculo nova & ad promovendam honorum librorum editionem peropportuna ratio in Anglia prium coepit, ubi nimicum intercedente pacto inter editorem & emptores, his prænumerata parte pecunia de libri edendi exhibitione ipsius chirographo caveratur; dubitari hoc in casu posset, annon ea ratione compensatis per subscriptores impensis, cum accessione lucri forsitan non contempnendi, editor in reliquum tempus dominium amittat, & libri ejus, qui ea via exiit, edendi copia omnibus deinceps fiat, quippe cum hic cesset omnis damni futuri ac periculi metus, siquidem de his satis editori pecunia prænumeratione cautum est, ut conqueri de recusoris facto non possit? Respondetur breviter concedendo, quod quidem hoc pacto metus futuri periculi sublatus sit, verum ex eo evinci non potest, quin id quod meum semel fuit, perpetuo meum sit, illutque mihi nemo, nisi qui furti se alliget, invito me contractare arque auferre possit; sive enim emptionis sive occupationis dunitaxat, aliote tijulo legitimo primus editor dominium libri semel acquisivit, hoc jam sufficit, ad quosvis alios ab usu rei ipsius arcendos, ut hoc abunde iam a me supra probatum existimo; accedit huc, quod ipsa haec iteratione editionis spes, plerumque partem lucri præcipuum, quod editori cedit, constituit: ut brevitatis studio silentio præterea alia argumenta, quæ in favorem primi alicujus libri editoris expromere liceret.

SECTIO SEXTA.

De Remediis quæ contra illicitam recusionem adhiberi possent,

Crimine furtivæ recusionis iustitia limites excedi, satis ut exstimo huc usque a nobis prolata probabunt; optandum itaque esset, ut summi Imperantes in id animum intenderent, quomodo remedia efficacia huic malo, indies magis magisque ingravescenti opponere possent; Ac varia quidem excoqui-

excitari posse, nullus dubito; sequentia tantum apponere lubuit; quæ mihi meditando in mentem venere.

1. Maxime conduceret, si censor publicus, (quem virum doctum esse decet atque oportet) in quacunque civitate, e.g. Germaniæ, Saxonie, Helvetiæ, illarumque regionum, quæ inter se (uti Sect. II. dictum) jure concordatus sive tacitis quibusdam conventionibus utuntur, constitueretur, qui album haberet, cui tituli librorum jam editorum, ut & nomina legitimi cujusque editoris inscripta essent, & in posterum inscriberentur, quoties novum opus edere aggrederentur; hoc modo enim, si quis censori huic librum ad censuram offerret, statim scire possit censor, an alias jus librum hunc imprimendi aut edendi solus habeat, evolvendo album suum, ut hoc in casu censuram ei denegaret. Quo autem censor omnes libros, qui quotidie eduntur, albo suo inscribere possit, opus esset, ut is, qui librum aliquem novum ederet, per omnes civitates, ubi sic dictus Concordatus viget, id notum faciat, quo censor publicus id comperire possit.

2. Publice quoque interesset, ut inspectio tabernarum librariarum, officinarumque typographicarum visitatio per intervalla ex improviso insti-tueretur, ut notitia illorum librorum, qui ex locis peregrinis in civitatem importantur, habeatur; quoniam sœpe accidit, ut varia scripta, quæ clam prodiere, in civitatem importantur, ac in tabernis librariis venum exponantur, quæ tamen contra decorum, vel jure posthabito, quod legitimo editori soli competit, venduntur; magistratum enim, ut quarumcunque aliarum mercium, si nec quorumvis librorum importationem publice concedere debere, optime asserit Ahasverus Fritsch; (a) ideoque expediret, legem ferri, vi cuius omnes libri, qui in civitatem aliquam in iis provinciis, quæ inter se jus concordatus observant, recusi introducerentur, si in eadem civitate liber ille æquo pretio haberi potest, fisco addicerentur;

3. Illicita recusio librorum etiam inhiberi posset, si (uti jam semel hic Basileæ factum est) honesti atque probi artis typographicæ cultores, regionum illarum, quas inter se concordantes diximus, qui plerique hodie & Bibliopolæ esse solent, ex societate sua excluderent eos, qui in officina quacunque furrido recusori operam suam commodarunt; Neque exclusio-nem hanc aut potestatem hoc modo coercendi collegatos impingere credimus in legem Imperii publicam, qua Inquisitio & diffamatio in immorigeros sodales Collegij (Germ. das Aufstreben der Handwerks-Gesellen,) prohibita (b)

D

vel

(a) In Tract. de Bibliopolis c. 2. §. 4. (b) Vid. Reichs-Policey-Ordnung de 1548. von Handwerk. Söhnen, §. 1. circa fin. & de An. 1577. Tit. 38. §. 3. nec non

vel ex eo probatur, quia illa tantum exclusio & inquisitio prohibetur, qua sine justa causa, ex mera petulantia sodalium ejusdem artificii vulgo facta fuit, non vero, qua ex jure quodam conventionali & statutis collegii, boni publici & artis mechanicae causa procedit; Neque ulla sit injuria excluso, sive a sodalibus artificii, sive a loci superiori, hunc in finem decenter implorato excludatur, cum sibi imputare debeat, quod secundum leges collegii, cui se adjunxit, fide obedientiae data, actiones suas non instituerit. Quod autem potestas haec condendi statuta ad artificium spectantia illis competit, qui ejusdem collegii sunt, videre est ex I. 4. D. de Coll. & Corp. ubi dicitur; *Sodalibus, i.e. qui ejusdem collegii sunt, quam grace et auxilium vocant, potestatem facere legem, actionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant.* Convenit tamen confirmationem ab eo qui jurisdictionem territorialem habet, petere. (a)

4. Ad prohibendum damnum vero, quod ex recusione furtiva accipere timent probi typographi, tandem & illud haud omnino vanum repertum est remedium, publica nim. declaratio libri, quem quis edere cupit, & sic dicta prænumeratio seu representatio pretii, emptoribus certis conditionibus proposita, de qua supra q. ultima diximus.

Equidem nullus dubito, quia alia atque alia adhuc excogitari possent furtivæ librorum recusioris remedii; verum cum ea res prolixam otioꝝ tamque tractationem postulet, & extra eos, quos mihi in hac dissertatione circumscripti cancellios expatietur, cetera eorum, quorum id interest magis, vel qui me ab ingenii viribus instructiores sunt, exutienda relinquam.

Chur: Sächsische Lands-Ordnung, Tit. Handwerks-Leute, qua das Luststreichen
der Handwerks-Gesellen, um Kloster Bezeichnung willen, verbotten.
(a) Per ea qua habet Mævius P. 3. Decif. 284.

F I N I S



Plausus votivi ad Nobiliss. Dominum Candidatum.

I.

Es ist die Drucker Kunst auf hohen Grad gestiegen,
Doch ist der Misbrauch groß; Es fehlet nicht an relegen;
Ein jeder Stümper sucht nur eitelen Gewinn,
Und damit ist gewiß der Alten Ruhm dahin;
Dein Eyser ist gerecht; Du lehrhest uns lieben,
Was nach Gerechtigkeit davon zu halten sey:
Geh' fort dem guten Trieb der Themis nachzusehen,
Und die Gelehrte Welt mit Schriften zu ergößen.

Allso hat mit wenigem seinem geliebten Herren Vetteren und
ehemaligen Discipulo, zu der rühmlich erlangten Würde
herzlich gratuliren wollen.

ANDREAS LINDERUS, J. U. D.
Facult. Jurid. Assessor.

II.

Quod studio legum noctesque diesque vacaris,
Indigitas scriptis, *suavis Amico*, tuis;
Dumque novam speciem furti pulcherrime monstras,
Quamque recusores commoda ferre putant,
Non minus innocuos hos, *Vir doctissime*, credis,
Sed potius furti criminis esse reos.
Alma tuis porro faveant modo numina ceptis,
Vive diu tandem, salvus & incolumis.

*Hac qualia quinque sint, in signum perpetua amicitiae apponere
voluit,*

ANDREAS MERIAN, J. U. C.

III.

Consuetum est Verbi servis, ut crimina culpent,
Quæ usu præ reliquis, esse recepta solent;
TU quoque eos sequeris, *juris Señator & equi*,
Culpando vitium, quod nimium invaluit;
Res, quam fecisti, certo est dignissima laude.
Perge, Deus studiis afferat auxilium.

*Hac ex animo integro Amico suo fundo primis ab anno
eruditissimo, carissimo, apponere voluit,*

JACOBUS CHRISTI J. J. P. S. M. C.

IV.

Q uod species furti damnoſa recuſio librum
 Sit, monſtrat doctum, ſpecimen hocce tuum;
 Objiciantque recuſores, quocunque lubebit,
 Tu fures illos, nec minus eſſe probas.
 Gratulor hinc aufis: per gens ſic ibis ad aſtra,
 Et maiores dies quæque futura dabit.

prolixiore affectu quam carmine p.
CHRISTOPHORUS BURCARDUS,
 Confift. Academ. Aſſessor.

Sieht ihr Scholastici Verſcheidige der Alten,
 Seht wie die junge Welt der vor'gen vorzuſiehn,
 Wo hat ein Jüngling vorr der Weisen Platz erhalten?
 Und thät was Greysen ſelbst ſo gar unmöglich ſchien;
 Fürwahr ihr findet es nicht, hier aber könnt ihr ſehen,
 Den jungen Thurneyſen dem Solon gleiche gehen.

Bu engerer Verknüpfung der von Jugend auf mit dem
 gelehrtēn Herrn Auctore geſlogenen Freundschaft,
 begyedzt von dessen getreuem Freund
 E. M.

Doctorum quicunque volet pervolvere ſcripta,
 Exacut mentem, nec erit ille rudis;
 Ingens hinc ſurgit Muſarum gloria gonti,
 Monſtrare ingenium qui voluere ſuum:
 Nec minus illorum ſtudium celebrare licebit,
 Cudit qui nobis munera tanta viri;
 Ad eolum hinc chartarum ars imprefloria ſcandit,
 Quæ facili niſi talia dona reſeft;
 Sed male ut in choro docto plagiarius audit,
 Sicque recuſoris non proba fama ſonat;
 Ignavo & ſegni fuco conſertur uterque,
 Qui mella injuſte devorat alterius:
 Hæc TU ſub certas leges revocare ſtudebis,
 Refrenare malos, & dare cuique ſuum:
 Det Deus ut felix optato fine fruaris,
 Evehet id certo nomen ad aſtra tuum.

Ita cognato & præceptoruſo charifimo gratulatur
JOH. JACOBUS CHRIST. Phil. Laur.



ULB Halle
001 966 979

3



sb



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres



Pr. 43. Num. P4.

N3

1728

1738

JO JURIDICA
URALIS

E LIBRORUM
TIVA

Deutsch

erlaubten

Sachdruck,

NAM

AVENTE

DE ET DECRETO

LISSIMI JURISCONSUL-
ORDINIS

TROVE JURE HONORIBUS
BRIS MDCC XXXVIII.

Q. C.

DEFENDET

US THURNISIUS,
EENSIS.

ILEÆ.

IRNISIORUM, Fratrum.

KONFRED
UNIVERS
LIVELIAE

